



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Centvriæ Selectorvm Casvum Conscientiæ. I. II. III.tia

Burghaber, Adam

Fribvrgi Brisgoiæ, 1665

41. Ioachimvs Patrem spiritualem & naturalem in pari necessitate constitutos videns tenetur cæteris paribus naturalem præponere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40942

propter solam delectationem, vt docent Io. Sanchez. Basilius Pontius. Dian. P. 3. Tr. 4. Resol. 226. & alij. *Ad quartum* non apparere, cur istud non liceat cum debitâ moderatione. *Ad quintum*, negatur esse prodigalitatem, cum suum habeat commodum.

XLI. *Ioachimus videt Patrem spiritualemente & naturalem suum in pari necessitate constitutos, nec utriusque succurrere potest. Queritur. Quem horum alteri præferat?*

Videtur spiritualis præferendus: Tum quia beneficium ab hoc acceptum pluris est faciendum. Tum quia in Spiritualibus bonis Pater Spiritualemente est coniunctior, quàm naturalis, vt docet Bonac. D. 3. q. 4. de Charit. pu. 1. in. fin. post Abulensem Valent. & alios.

Resp. Cæteris paribus Patrem naturalem spirituali præponendum. Ita Suar. Coninc. Palao Tr. 6. D. 1. p. 10. n. 7. & alij. Ratio est. Tum quia dare primum esse substantiale ac viuere, est primum beneficium, ac fundamentum, cui alia supersterni debent. Tum quia carnalis coniunctio aliarum coniunctionum basis ac fundamentum suapte naturâ est prior ac stabilior.

Ad primum in contrarium dicimus, beneficium à Patre Spirituali acceptum esse quidem pluris æstimandum *secundum se*, non tamen *quoad coniunctionem*, vniuersim autem illi magis subueniendum, qui nobis est coniunctior,

or,

or, vt rectè Becan. 2. 2. cap. 19. q. 3. num. 6. Vnde in casu necessitatis quivis cōsanguinei, et si minùs sancti, aut fortè peccatores, præferendi sunt sanctioribus extraneis, tum in spiritualibus, tum in temporalibus, quia ex charitate obligamur sanguine iunctis hoc ipso, quod nobis iuncti sint, succurrere: At verò sanctitas non inducit nobis hanc obligationem. Ad secundum satis patet ex recèns dictis; nam carnalis coniunctio non solùm obligat ad providendum sic coniunctis in temporalibus, sed etiam in spiritualibus, vtpote magis necessarijs. Ergo obligat ad præferendum hos sic naturaliter coniunctos eis, qui solùm extrinsecè & in Spiritu coniuncti sunt, vt rectè Suarez D. 9. de Charitate. sect. 4. num. 19. Aliud fortè est de Prælato respectu suorum subditorum Religiosorum, quem Coninck de Actib. supernat. Diss. 25. num. 152. & 171. probabiliter putat, teneri illis priùs providere, quàm quibusvis consanguineis (excepto parente) tam in temporalis necessitate, quàm in Spirituali, cùm ipsi se totos Religionis tradiderint, & loco parentis Religionem susceperint, & sub ea cura Religio eos receperit; vnde in responsione reflexè diximus, cæteris paribus.

XLII. *Ioannicius Adolescens vouit non ducere uxorem, cuius voti multò post tempore pœnitens, ex certâ causâ Romæ petit impetrâque dispensationem*